AD QVODLIBETARIAM.

QVÆSTIO MEDICA MATVTINIS DISPVTATIONIBVS AGITANDA IN SCHOLIS MEDICORVM, DIE IOVIS OCTAVA FEBRVARII.

MAGISTRO MICHAELE BOMMER, DOCTORE MEDICO MODERATORE.

An pesti remedia ἀδιόριστα?

NON omnes morbos sola medicatrix natura profligat, multi Medici prudentis auxilium expostulant. Habet illa soluendis morbis deponendísque humoribus non solùm publicas vias, sed alia quoque diuerticula, vt in expurgando liene cui διουρητικὰ conueniunt. Medicus diętâ, manu, pharmaco naturæ opitulatur; seu sopitam excitet, vt in syncope frigidâ potiùs quàm bezahart; seu cunctantem promoueat, vt in contumaci dysuriâ perinæi sectione non pubis nec καθαρτικοῖς; seu aberrantem emendet, vt cùm ἀτρήτοις factâ proliciendo semini rimulâ fœcunditatem restituit. Neque vero Dogmaticus Empiricorum more τύχῃ ἀλλὰ τέχνῃ morbos oppugnat, rationis ductu non circumspectione syderum à quibus nullum maleficium deriuari nouit. A morbo indicationem agendorum desumit contrariorum lege non similium, τὰ ἐναντία τῶν ἐναντίων ἰάματα.

EST autem ἔνδειξις ἡ τῶν βοηθημάτων εὕρεσις μετὰ τοῦ λόγου. Ea non est vnica vel simplex; à morbo contrarij necessitas indicatur; affecta pars agendi spem iniicit; vtriusque cùm morbi, tùm affectæ partis obseruatio diligens auxiliorum conditionem ostendit. A causis interdùm alia quàm ab ipso morbo agendorum indicatio exurgit, quo modo quartanis vel calefacientia, vel refrigerantia tutiùs præscribuntur quàm ἀδιάπτωτα. At symptoma non indicat etiamsi grauissimum sit, vt effrænis hæmorrhagia cui phlebotomia melior quàm admota persicaria vel coralium. Neque qualitas neque medicamentorum quantitas numero, pondere, mensurâ, mole æstimanda exactè definiri potest, quòd ad vnguem non sit morbi cognita indoles, aut explorata corporum ἰδιοσυγκρισία. Vbi morbus specie indefinitus est, ibi nullus remedij locus nisi ἀδιορίστως, siquidem ἡ τοῦ νοσήματος ἰδέα δι' ἧς ποτ' ἐνδείκνυται τῆς ἐπανορθώσεως.

AT pestis morbus est ἀδιόριστος commune nomen & indolem cum epidemicis perniciosis adeptus. Morborum enìm vulgarium quidam ἔνδημοι nonnullis gentibus familiares, vt phallitis antiquus morbus Indis, στρόφοι colicos mentientes cruciatus Pictonibus; quidam certo tempore grassantes nullis addicti regionibus, cùm ἐπιεικέστεροι sunt, ἐπιδήμιοι simplices; cùm ἐπιεικέστεροι καὶ ὀλέθριοι, λοιμώδεις nominantur. Hos non ficti Martis & Saturni co gressus creant, non cæcæ aut altiores causæ; sed illegitimæ anni constitutiones, & aliundè in aërem vel corpus inducta putredo insignis à malignitate & veneno frustrà distincta. Neque verò quòd à peste hîc potiùs quàm illîc, hi citiùs quàm illi rapiantur, conditio cœli pestifera impressa nascentibus incusanda est; sed ἐπιτηδειότης & ad suscipiendum virus imbecillitas præuia. Caue dicas pestem certæ partis esse morbum aut certam morbi speciem, οὐ γὰρ διὰ νοσήματός γε τινος ὄνομα ἐστιν ἐπίδημον ἢ λοιμῶδες.

QVIS enìm dysenterias extractis chymicis non sedandas sed vsto rheo; quis febres inconstantes ab errantibus distinctas; quis tabes superueniente diarrhœâ lethales; quis anginas hirundinum nido non cedentes; quis ephemeras à putredine spirituum genitas, quis causos etiàm superueniente tremore ac delirio θανατώδεις; quis cæteros morbos pestem non dixerit, cùm αἱ καταστάσεις λοιμώδεις plurimos aggrediuntur & opprimunt? Quo etiàm nomine morbilli & variolæ vetus menstruorum non syderum recens fermentum cùm ἐπιδημοῦσι καὶ ἀπολλῦσι pestis nominandæ sunt. His adde febres maculosas & καταστίκτους crebrâ venę sectione castigandas, malignas quoquè pulsu & vrinâ fallentes, nec-non pestilentes vulgò dictas cæteris morbis non diuiniores. Erras si credis bubonem assiduum earum esse symptoma, quia & sine bubone esse possunt, & ille tumor necàb inguine solo nec solus erumpit. Hi omnes quoniàm ὀλέθριοι epidemici, sunt etiàm pestilentes morbi. Constat enim ὡς ἐκ τοῦ γένους τῶν ἐπιδημίων νοσημάτων ὅσα κακοηθέστατα γίνονται καὶ λοιμώδη καλεῖται.

CVM igitur λοιμὸς certâ morbi specie non definiatur, quo remedio veniet oppugnandus? Non victu tenuissimo, nam mediocri gaudent quartanæ pestilentes; non pleniore, qui lientericis nocet; non venæ sectione, quam vt in tabe damnamus, sic probamus in febre; non purgatione dysenteriæ quidèm vtili non malignis ephemeris quarum Anglicus sudor est ἐπιγενόμενον. Quid vltrà? non Theriaca, non Mithridatium prodest, non Bezahart chymistarum, non sales veronicæ & cardui, non sulphuris cremor, non oua philosophica, non Ambaris pomum, non bolus Armena, non pulueres vel Imperiales, vel aurei, vel rubei dicti. Nullum deniquè medicamenti proprium genus pestis indicat: quam vt auertas frustrà palpitantia turturum corda deuorantur, frustrà rubini gestantur, frustrà bubonium sinistrâ manu decerpitur iuxta cinctus alligandum. Quid igitur? Cùm péstis incerti sit morbi nomen, certúmque sit ὡς τοσούτους χρὴ τόπους εἶναι τῆς ἰάσεως ὅσαι περ καὶ αἱ τῶν νοσημάτων ἰδέαι, concludimus

Ergo pesti remedia ἀδιόριστα.



Asserebat Lutetiæ RENATVS MORELLVS DV MOVLIN Monterobellayus. A. R. S. M. DC. XVIII.

DOMINI DOCTORES DISPVTATVRI.

M. Carolus le Clerc.
M. Ioannes Bourgeois.
M. Mauritius de Montrœil.
M. Guillelmus Gion.
M. Claudius de Pois.
M. Ioannes Martin.
M. Andreas du Chemin.
M. Georgius Arbaud.
M. Carolus Bouuard.